

nium *Septem* Librorum hujus Operis, quantum quidem, dum hic Codex exscriberetur, inde in Eruditorum manibus erat. Norunt hodie, priorem *Epitomes* Partem jam *Hieronimi* tempore, qui in *Cat. c. 80. Epitomen* hanc *Librum acephalum* adpellat, latentem sub hujus *Sec.* initium a *Cpb. Matth. Pfaffio* non quidem, ut *Oudino* visum, *Taurinensi* Bibliothecario, sed in *Cod. Taurinensi* Reg. detectam, *Parisiisque* 1712. 8. typis editam fuisse. Itaque in *Cod. nostro* cum *Laëtantii* Edit. *Parif. 1748. T. II. p. 43. 4.* comparato initium est a *C. LVI.* portione illa, quam detexerat *Pfaffius*, *Capp. LV.* constante, quae divisio serius adrisit, cum Codices antiqui absque divisione decurrant. Orditur ergo *Nofter: Nam si iusticia est veri dei cultus &c.* Textus mendis, quin et spatiosis vacuis ad voces subplendas non caret. *C. 71.* verbis illis: *iustos homines ac dicatos deo — persequetur*, interjicit: *duobus et quadraginta mensibus*; quod nullibi notatum reperio. Ad calcem habetur rubro: *Ego henricus de brugis transcripsi 1451. Ego autem Carolus podocatharus cyprius auscultante Georgio boemio emendaui pro Guarini Veron. exemplari opera superscripta. Censeo pro exemplari idem esse ac ad exemplar*; unde *Guarino* saltem, quod *Laëtantium* adtinet, non optime provisum fuit.

CCCCLVII.

Codex membraneus lat. *Sec. R. 2126*
 XII. Folior. 54. f. min. magnifice perscriptus et coloribus distinctus hoc Rubro gaudet: *Amicii. Manlii. Seuerini. boecii. v. c. et ill. et consul. ordinarii. patricii. Incipit liber quomodo trinitas unus deus ac non tres dii ad quintum. aurelium. memmium. smachum et ill. v. c. et con. ordinarium ac patricium socerum. De sacris christiani hujus Philosophi opusculis non semel quidem utroque hoc Vol. egi, invitatur tamen Exempli hujus aetas et splendor, ut quaedam etiam ex eo delibem. Init Tractatus I. Inuestigatam diutissime questionem in quantum nostrae mentis &c. ut edit. *Basil. 1546. p. 957. f. et Lugd. Bat. 1671. p. 269. 8.* Si cum hac editione compares, vel in *Prooemio* hae lectiones non spernendae occurrunt: *stilo cogitata pro excogitata. Spectare sententiam pro sperare. Tractationibus pro tractatibus. Sane tantum a nobis pro sed nunc tantum. Via rationis ascendere pro accedere. Tantum facilius pro tam facilius. Totum Opusculum et Glossas interlineas, et egregia Scholia per margines habet, si primum excipias, quo *Amicius* infeliciter ab *Anno* ducitur, eo quod optabant parentes annosum fieri. Mirum certe, cum Scholiastes ceterum graecis literis tinctus videatur.**

Fol. 12. Alterum Opusculum: *ad iohannem diaconum cardinalem romanæ ecclesie utrum pater et filius et spiritus sanctus de diuinitate*

te substantialiter prædicentur. Initium: Quero an pater et filius &c. ut edit. Lugd. p. 281. Exemplaria Vallini Johannem illum Sanctum, non vero Cardinalem vocant. In Textu conspirant. Continuatur nobis Scholia.

Fol. 14. Item eiusdem ad eundem quomodo substantie in eo quod sunt, bone sint, cum non sint substantialia bona. Initium: Postulas ut ex ebdomadibus nostris &c. ut edit. Lugd. p. 284. Lectio mendis non caret. Ad locum, qui disputat de Bonitate per participationem vel per substantiam, et incipit: Quæstio vero hujusmodi est &c. notat Scholiastes: Satis provide et cum magna cautela legenda sunt ea, quæ hic sequuntur, quia falsa argumenta ueris permixta sunt, quæ ab inuicem providenti iudici segreganda. Non tangunt hæc Boethium, sed objectionem, cui ille deinceps respondet. Interim facile est cubare in mendo illa Textus verba: Sed concessum est; quamvis utraque etiam Editio ita legat.

Fol. 19. p. 2. Incipit liber boecii aduersus nestorium et euticen pro persona et natura domino sancto ac uenerabili patri iohanni diacono boecius filius. Anxie te quidem diuque sustinui &c. ut edit. Lugd. p. 298. cuius sinceritatem Textus noster non adsequitur.

Fol. 44. p. 2. De fide catholica ac uera. Confessionem hanc primus edidit Renatus Vallinus, non Wallinus, ut est apud Hambergerum, ne Suecum putes, adhaerentem Opusculo fol. 14. indicato,

ut ad Codicem seq. dicam. Hic proprio, ut vides, titulo gaudet, et post verba: sed ad ordinem redeamus, nova Rubrica: De transgressione protoplasti, interstinguitur. Init vero: Christianam fidem noui ac ueteris testamenti pandit auctoritas. &c. Ostendi ad Codicem seq. in quibus ejus lectio abeat ab edit. cit. Hic dabo lectiones ab utroque discrepantes. Pag. 289. edit. designauerit affuturum pro significauerit. Inter extitisse substantiam et Patrem itaque omituntur, quæ habet Vallinus. Pag. 290. sed vocabulorum pro sub vocabulorum. Hic generatio duorum commixtione pro hæc generatio duorum corporum commixtione. Verba: quæ res — in integro novum, quæ in edit. leguntur post applicare, trajecta sunt post fuisse natura. Loco tenentur pro ponentur. Pag. 291. illic possit historie pro illi. Pag. 292. terram miseria pro terrenam miseriam. Pag. 293. non desistit pro non destitit. Verba ex qua nobis — concederet, in Cod. desunt. Transigendi famem videlicet causa pro transigendi causa. Mole deprimi pro premi. Per eorum egressionem pro pro eorum egressione. Univerforum deus pro universonum conditor deus. Pag. 294. per singulas successiones omittit Codex. Sub quo beata virgo omissum extitit. Facebat in morte pro in mortem. A morte peruicacis pro a tumore peruicaciae. Pag. 295. illud sibi deberi pro aliud sibi deberi. Pag. 296. ut credat non solum pro ut credamus non solum. Homines ad Christum vel examen pro

1125

D O G M A T I C I

1126

pro homines ad examen. Ibi erit gaudium pro eritque gaudium. Quae Codex aperte peccat, non adnotavi. Ad calcem manus Sec. XIII. superstitiosam hanc Formulam adiecit: *Ansa. amen. hos. Theos. vsyon. Elion. generasivs. liberasivs. Alpha. et ω. sis pax et deffensio. hvic famulo dei. ab omni incurfione diaboli et nunc et femper amen. Deus pax. Jefvs remedium. chriftvs uita.*

Vestiendae utrique Codicis interiori Thecae immolata est *Aeneis Virgilii* pariter Sec. XII. exarata, glossis adspersa, et probissimae lectionis, *Liber* quidem III. a v. 691. *Litora Achemenides* usque ad L. IV. v. 4. et deinceps plura ejusdem L. fragmina per duas columnas scripta.

CCCCLVIII.

R. 3117 Codex membraneus lat. Seci XII. Folior. 70. 4. Textu luculente, Commentariis marginum minute, sed nitide exaratis, minio distinctus, et olim *Monasterij S. dorothee in Vienna* continet I. *An. Manl. Sev. Boethii* Opuscula Theologica, quorum primum *De Sancta Trinitate*, init: *Inuestigatam diutissime questionem &c.* alterum *Ad iohannem diaconum ut-*

Editio Lugd. 1671.

Pag. 289. *eatenus confitetur fides.*
290. *ordo necessarius postularit.*
291. *paradisi delitiis constituit.*

rum pater et filius et spiritus sanctus de diuinitate substantialiter predicentur. Ita: Quero utrum pater et filius &c. tertium Ad eundem. quomodo substantie in eo quod sint, bone sint, cum non sint substantialia bona. Ita: Postulas ut ex ebdomadibus nostris &c. Atque huic Opusculo fol. 14. continuo absque omni titulo adnexa est *Brevis illa Fidei Complexio* jam *Tritbemio* memorata, quae incipit: *Christianam fidem noui ac ueteris testamenti pandit auctoritas &c.* et de qua infra plura. Quartum denique *Contra euticen et nestorium ad iohannem diaconum.* Ita: *Anxiete quidem diuque sustinui &c.* Specimen lectionis horum Opusculorum cepi e collatione cum *Edit. Ren. Vallini Lugd. Bat. 1671.* neque planè ad hujus perfectionem affurgere comperi. Interim in exordio primi Codicem melius legere puto: *ut contumeliam uidear — projeceram, quam videatur — projecerit.* Textum Glossae et Scholia eadem ambiunt, de quibus ad sequentem Codicem dicam. Sola *Fidei Complexio* iis caret, quae, ubi ab *Edit.* abeat, hic indicabo, pluribus differentiis, in quibus hic Codex cum sequenti convenit, illuc reservatis:

Codex noster.

Fides omiffa.
postulat.
paradisi delitiis possessorem constituit.

A 3

Pag.